



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ivlii Cæsarisi Scaligeri Epistolæ & Orationes**

**Scaliger, Julius Caesar**  
**Lugduni Batavorum, 1600**

S. LVIII.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70455](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70455)



## SCALIGER ATTICO

S. LVIII.

**C**VM te expectarem, nescio acerbiorne  
 mihi fuerit frustratio hæc, qui carue-  
 rim tam necessario colloquio, an iucun-  
 dior, quod isthic remanseris. Quippe po-  
 test, vt te visam ipse propediem atque gra-  
 tias agam. At non potuisset animus meus  
 conquiescere a metu, si te absente res mea  
 esset iudicata. Nam tametsi Aimardus &  
 integræ fidei vir est, & doctrinæ singularis,  
 tamen quodcunque esset positum in vo-  
 luntate hominum, id semper inter τὰ ἐπί-  
 χόρδια reponere cōsueui. Tu vnus es, a quo  
 victoriam mihi repræsentatum iri spero.  
 Alesmius si est, magnam eius erga me bene-  
 uolentiæ fidem habeo. Nec Brassacus, opi-  
 nor, nocebit. Fuit enim mei sēper, quæ eius  
 est humanitas, perstudiosus. Aduersarii mei  
 Burdegalæ sunt. qui si hoc curant, vt absen-  
 te procuratore meo iudiciū absoluat, te,  
 mi Attice, sine vt exorem, vt mihi optima  
 in caussa tuo vti beneficio liceat. Hæc ad te  
 scribo prolixius, non quod diffidam vel tuæ  
 humanitati, vel caussæ, sed vt in memoria  
 habeas, vbi ea de re inter vos agetur. Vale.  
 Mitto ad te Illustrissimi Patroni mei car-  
 men

men



192 IULII CÆSAR. SCAL.  
men infelicissimum. Nuper enim ille ad  
me miserat, qui dicerent, nolle sese me his  
fordibus amplius detineri: effecturum, ut  
meæ familiæ non pœniteret, cuius nobilita-  
tem infinitis testibus, præsentibus ciuibus  
nobiliss. meis ac Principibus Italiæ comper-  
tam haberet. Dominus a Birono sic mihi  
renuntiavit. Ego vero miser, quid aliud,  
quam semper iaceam obsitus exilio, ege-  
state & luctu?

EIDEM. LIX.

**I**AM tandem vero amare cogar literulas  
meas, in quibus mihi non displiceam, cum  
tibi placent. Verum si eam a veteri huma-  
nitate sum consequutus, hanc sane amem  
non illas. Amem vero non solum libenter,  
sed etiam feliciter. Quid enim secundius  
mihi potuit euenire, quam ut abs te non  
contemnerer? Laudatus etiam sum, idque  
adeo, ut etiam thesaurum reperisse te dicas.  
O veram animi nobilitatem. Iam non sum  
iratus fortunæ isti, quæ in eas me coniecit  
lites, e quibus non solum de pessimis peti-  
toribus victoriam, sed etiam labefactatæ  
pene amicitiaæ insperatum solatium repor-  
tarem. Quanti vero fuit mihi esse infortu-  
nato? Non queo tibi scribere, quam me ve-  
xarunt